



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

1. Insonuit, Fili &c. Bulla pro Regina Siciliæ super rumore Provincia
invadenda: anno 1367.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74452)

ANNO
1367.ANNO
1362.URBANUS QUINTUS,
PONTIFEX CCII.

ANNO DOMINI MCCCLXII.

Urbanus Lemovicensis, Guiliemus antea vocatus, Pontifex factus, Tiaram Pontificiam triplici coronâ circumdedit, à S. Sylvestro I. simpliciter, (quod vulgò fertur) à Bonifacio VIII. dupliciter coronatam. Instituit benedictionem Rosæ Aureæ, Dominicâ *Letare* in Quadragesimâ, quam ipse primùm misit Joannæ Siciliae Reginae. Pontificatum tenuit annos octo, menses tres. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Edit. Luxemb. 1727. fol. 261. App.*)

Bulla pro Regina Siciliae super rumore de Provincia invadenda: anno 1367.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo &c. Salutem & Apostolicam benedictionem.

Insonuit, Fili carissime, his diebus rumor implacidus in Comitatu Provinciae, ad carissimam in Christo Filiam nostram, Johannam Reginam Siciliae illustrem, pro Regno Siciliae nostram & Ecclesiae Romanae Vasallam spectans, & jam usque ad nostram audientiam est perlatus, quod dilectus Filius, nobilis Vir, Johannes Dux Lancastriae, natus tuus, intendit, comminatur, & parat se praedictum Comitatum invadere. De quo nescientes quo jure vel Titulo hoc agere valeat, miramur plurimum & dolemus, maxime quia, cum olim de hoc aliqua suspicio praecessisset, quidam Nuncius tuus ex parte tua litteras portans Credentia, nobis retulit, quod hoc nequam permitteret fieri Regia Celsitudo, nisi prius praecedente requisitione legitima, & in justitiae defectu, quod nondum noscitur esse factum. Cum itaque memorata Regina parata sit super omnibus, quae idem Dux ab ea vellet petere, stare Juri, quod etiam nos offerimus, pro eadem Serenitatem tuam affectuose rogamus, & obsecramus in Domino, quatenus hujusmodi invasionem, quae omnes illas partes, Deo juvante, pacificas conturbaret, multaque pericula animarum & corporum, ac rerum dispendia generaret, indubie fieri non permitas, maxime quia praefatus Dux, tenendo viam istam rationabiliter, justitiam suam, si quam habeat, facilius & honorabilius consequetur. Super quibus, eidem Serenitati plenius exponendis, dilectum Filium, Magistrum Johannem de Cabrespino Canonicum Narbonensem, Decretorum Doctorem, Apostolicae Sedis Nuncium, Latorem praesentium,

ad tuam praesentiam destinamus; cui super his, quae Tibi de praemissis ex parte nostra narraverit, fidem velis credulam adhibere.

Datum Viterbii VII. Calendas Augusti, Pontificatus nostri anno quinto.

In favorem Caroli Galliarum Regis contra Seditiones, qui Parisiis & alibi Societatem composuerant, nuncupatam: *La grand Compagnie*, ad turbandum Regni Statum: anno - - - -

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Quam sit plena periculis ac cunctis Christi Fidelibus abhorrenda saeva illorum immanitas, qui avaritiae fervore succensi arma moventes se magnas Societates seu Compagnias appellant, in quibus nulla pietas, nulla fides extitit, effusus Christianorum sanguis, mortes, stragesque multarum Ecclesiarum & Monasteriorum incendia, Virginum raptus & stupra, Civitatum, Castrorum, aliorumque Locorum & bonorum quorumlibet direptiones, spoliationes, praedae, aliaeque afflictiones innumeræ in diversis mundi partibus, & praesertim in Regno Franciae ex multo jam tempore perpetratae, proh dolor attestantur!

Contra quos licet per nos & nonnullos Praedecessores nostros Romanos Pontifices plurimi processus tam speciales quam generales sint habiti, diversas poenas & sententias continentes, quas in suo robore volumus & decernimus permanere, & haberi etiam praesentibus pro expressis. Nihilominus tamen ex pastoralis sollicitudinis cura, quam erga gregem Dominicum habere diligentius perurgemur, anxie timescentes, quod mundi invalescente malicia hujusmodi nefandis sceleribus assueti ab illis, & praesertim in ipso Regno Franciae, ubi majus Christianitati periculum imminet, & in quo furor tempestatis hujusmodi magis invaluit, non desistant, & alios ad similia non inducant, ac diligentius recensentes, quot & quanta bona ex ipso Regno Catholicae Fidei totique Christiano populo in longum continuata per ævum multimodè provenerint, & quantum & qualiter Christianissimi Francorum Reges, qui fuerunt pro tempore, eandem fidem Catholicam & Romanam Ecclesiam, cujus semper praecipui pugiles extiterunt, longè lateque per orbem, sicut exacti temporis Antiquitas fidelis insinuat, & probat evidentia veritatis, multipliciter extulerunt, ferventer pro ipsa fide pugnando, ac Ecclesias & personas Ecclesiasticas sui Regni favorabiliter protegendo, dignum ducimus & expediens reputamus, ut adversus hujusmodi pravorum nequitiam, quantum cum Deo possumus, opportunis remediis occurramus. Consideratione igitur praemissorum super his cum Fratribus nostris deliberatione praehabita diligenti & de ipsorum Fratrum Consilio, ut bonis & fidelibus tranquillitatem praeservemus & pacem, ac pravorum iniquitatibus, animarum periculis, personarum excidiis, Ecclesiarum & Ecclesiasticorum alio-

ANNO
1367.II.
Ex Hist.
Univerf.
Parisiens.
Bulæi
Tom 4.
P. 414.I.
Ex Arch.
Angliae
Rymer
Tom. 6.
pag. 569.